

nihil aliud significasse ; nisi optandam esse Justis dissolutionem Animæ a Corpore ; quippe statim ad Dominum evolant , & *penes Dominum* sunt , hoc est præsentia illius , utique beatifica , frui incipiunt . Incessum postea Tertullianus unis Martyrum Animabus ejusmodi Felicitatis prærogativam pollicetur . Nulla justa ratio occurrit , cur ceteris Proborum Spiritibus neget , quod illis concedis . Ostium jam reclusum est . Vicerunt & isti Mundum ; eosque , ut Clemens Alexandrinus , alique Patres ajunt ; non dedecet nobilis *Martyrum* appellatio , atque adeo & Præmium . Cur non opera istorum sequantur & istos ? Neque Apostolus cupiens *dissolvi* , sive *peregrinari a Corpore* , ut *presens esset ad Dominum* , sperabat id se confestim a morte assequaturam , quod caput daturus foret pro Christo ; sed quod jam consummasset cursum , & fidem servasset . Frustra quoque suffragium ex Apocalypsi Tertullianus petit , quasi mortuorum Fidelium Animæ *sub Altari* positæ Deum non intueantur , neque ejus conspectu fruantur . Aditum dubitationi præcludit S. Jo: dum Apocal. VII. 9. se vidisse testatur *Turbam Magnam , quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus , & Populis , & Linguis* (ergo non de Angelis , sed de humanis Spiritibus) *stantes Ante Thronum , & in Conspectu Agni* . Pete , quis , & ubi hic Thronus ? Respondet Apostolus in subsequenti vers. undecimo : *Et omnes Angeli stabant in circuitu Throni , & Seniorum , & quatuor Animalium . Et ceciderunt in Conspectu Throni in facies suas , & adoraverunt Deum* . Hæc interpretatione non egent . Cæcus sit , qui hæc non videat . Atque hæc pauca de Tertulliano , Millenarii phantasmatis alioqui patrono . Quod si & ille diserte fatetur , suis temporibus abundasse Catholicos , qui Justorum Beatitatem minime differendam censebant : cur nos Tertulliani ingenio , in tot aliis a veritate Catholicæ doctrinæ devio , quam illis , fidem in controversia ista adhibeamus ? Eoque minus ab illo nobis timendum ; nam & ipse tandem in Catholicorum sententiam hac in parte descendisse , & quod nos agnoscimus , agnovisse videtur . Accipe *Scorpiacum* illius , Opusculum videlicet postremis suæ vitæ annis , uti Eruditi censent , ab eo compositum . Is ibi pugnat contra Gnosticos & Valentinianos , quorum sententia erat , Christi Fidelium Animas Corpore solutas , in Cælum quidem ferri , sed per varias Cælorum sedes distineri , donec Confessionem nominis Christi coram Potestatibus & Spiritibus ibi degentibus faciant , neque enim Hæretici illi necessariam arbitrabantur ejusmodi Confessionem in Terris Martyrio sese sub obtentu hujusce opinionis subducentes . Nimirum , ajebant , *quum Animæ de Corporibus excesserint , & per singula tabulata Cælorum , de recepto disipici cœperint* &c. Contra instabat Tertullianus , Confessionem nominis Christi faciendam *Coram hominibus* in Terra , quoties occasio poscit ; Animas vero Christianorum , dum solutæ sint peccatis , *Sine mora* in Cælum deferri , ubi Christus est in dextera Dei Patris . *Scito* , inquit ille cap. x. *& Ascensum*